

*Q. D. B. V.*

18a

**NOVITATEM  
REGIMINIS MO-  
NARCHICI  
IN ECCLESIAM UNIVERSAM  
PRÆSIDE**

**SALOMONE DEYLINGIO,**  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CI-  
ZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE,  
NATIONIS MISNICÆ SENIORE, ECCLESIÆ HUJUS LOCI  
AD D. NICOLAI PASTORE, ET DIOCESEOS  
LIPSIENSIS SUPERINTENDENTE,

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIÆ FLORET,

PERSPICUE EXPONET

**JO. CHRISTIANUS BROESTEDT,**  
VRATISLAVIENSIS.

*DISSERT. I.*

---

D. XXIX. Decembr. A. O. R. clo 10 ccccxxix.

---

LIPSIÆ, LITTERIS SCHEDIANIS.

N O V I T A T E M  
R E G I M I N I S M O .  
N A R C H I C I  
I N E C C L E S I A M U N I V E R S I A M

P R E F I C E

S A L O M O N E D E Y L I N G I O .

S E C U N D U M T H E O L O G I C A L E D O C T O R E , E L I S A B E T H O U E  
P R O F E S S O R E P U B L I C O O R D I N A R I O , C A S T I L I U M C I  
X E N I A S C A N O N I C O , C O N S I D O R I U M A S S E R S O R E ,  
M A T T O N I S W I E N I C K I P A S T O R I U M A T D O C T O R E S  
A D D I C T O R I U M P A S T O R I U M A T D O C T O R E S  
T H E S I N E R S S U P E R I N D E N D E N T E .

I N A C A D E M I A Q U A R T I L I S T I L O R E T .

P R E P A R I C U M E X C O N S I

J O . C H R I S T I A N U S B R O E S T E D T .

A R / T I S T A V E N I S Z


D I S S E R T A

---

D X X I X D e s i c h r . 4 0 . 6 9 P o g x x i x

---

T H E S I S , L I T T E R I S S C H E D I A N A S



I. N. J.

On ita pridem aliquot Dissertationibus ostendimus, graves illas corruptelas, quibus Pontificii peraugustum S. Eucharistiae Sacramentum foede contaminarunt, novellas esse, & in antiqua Ecclesia, quoad incorrupte servavit Christi instituta, inauditas. Eadem est ratio ceterorum errorum, quos temporum difficultas, & hominum improbitas, barbaries ac supersticio, in Ecclesiam Romanam invexit. Huc reserimus monarchicum & suramnum Romanorum antistitutum dominatum in universum orbem Christianum, quem a longo tempore & quæsilverunt, &, quoad fieri potuit, non ex quo rei Christianæ detimento, exercuerunt. Ubi illud omnium indignissimum est, quod curia Romana adulatores, & quotquot Romanis ritibus addicti sunt, principatum callide, & per vim, ac temporum injurias, inventum, confirmatumque, a Christi institutione, & ejus legatorum auctoritate, perpetuae que prisæ Ecclesiæ confuetudine, repetere non erubescunt. Nos autem, divino freti auxilio, hoc libello Academico perspicue & solide demonstrabimus, tale dominium nec Christianum habere auctorem, nec in Apostolica & primitiva Ecclesia, quæ regimen Aristocraticum amavit, usitatum fuisse.

A 2

I. Christus



## I.

Christus non instituit in Ecclesia sacramum aliquod dominium, ac multo minus regimen monarchicum, quale Præfules Romani a longo tempore sibi vindicarunt & usurparunt.

## EXPOSITIO.

## §. I.



Um sanctissimus Servator in carne apparuisset, regnum quidem, quemadmodum antiquorum vatum oraculis prædictum erat, his in terris condidit, sed mere spirituale, & ab indole Rei-publicæ civilis, aut regni humani, prorsus alienum. Hoc ipse profiteatur, quando ait, *regnum suum de hoc mundo non esse*, Joh. XVIII, 36. Salutarem doctrinam ab omnibus hominibus, sua saluti consulturis, amplectendam, promulgavit, & idonea cœlestis gratiæ, fideique conferenda, & obsignanda, media, qua *Sacra menta* dicuntur, pro divina, quæ pollebat, potestate & auctoritate, instituit, sed eo ipso declaravit, sua Ecclesia, præconio Evangelii ex variis gentibus colligenda, regimen, a potestatis civilis, aut regni humani forma ac ratione longissime abesse. Quoad inter mortales veratus est Redemptor noster, non principis aut, imperantis, sed doctoris munere functus est. Idem officium docendi, non impe.

1 Cyprius

imperandi, demandavit suis famulis & legatis, quos ad Judæos,  
& in universum orbem emisit. Illis equidem, perinde ac eo-  
rum successoribus, potestatem remittendi & retinendi peccata  
concessit. Inde tamen nihil minus colligi potest, quam im-  
perium aliquod civile. Nam universa illa clavium potestas in  
efficaci dumtaxat promissionum, ac comminationum divina-  
rum applicatione consistit, qua cum imperio civili nihil  
commune habet. Falsum proinde est, Ecclesiam a Christo  
ad Reipublica civilis formam compositam, & supremam po-  
testatem Petro, ejusdemque in pontificatu Romano successor-  
ibus, collatam esse.

## §. II.

Adversarii summum Romani præsulis regimen in Ecclesia,  
a Christi institutione derivaturi, ad bina N. T. loca solent pro-  
vocare, videlicet ad Mathe. XVI, 18. 19. & Joh. XXI, 15. Circa  
priorēm non exiguae sunt veterum Doctorum dissensiones.  
Et ex ipsis Pontificiis nonnulli fatentur, primatum pontificis  
Romani ex eo probari non posse. Sic du PIN in egregio libel-  
lo de *Antiqua Ecclesiæ disciplina Diff. IV. Cap. I. §. 1. p. 305A*  
recte obseravat, hæc verba: *Tu es Petrus, & super hanc pe-  
tram edificabo Ecclesiam meam*, varie exponi. HILARIUS,  
AMBROSIUS, CHRYSOSTOMUS, aliique, per *petram* hic  
intellecerunt confessionem & fidem Petri, quam palam pro-  
fessus erat. Ab his non multum discedunt, qui *petram* inter-  
pretantur Christum, quem Petrus confessus erat. In hac sen-  
tentia suere HIERONYMUS & AUGUSTINUS. Alii præ-  
ente TERTULLIANO, & ORIGENE, existimarunt, per *pe-  
tram* Petrum ipsum significari. Plerique tamen non tantum  
de Petro, sed reliquis etiam Apostolis id intelligendum esse  
existimarunt. His sententiarum divortiis conmemoratis,  
du PIN recte monuit, ex prima & secunda expositione nihil

pro primatu pontificis colligi posse. Ex tertia euidem expositione sequi, Petrum esse Ecclesiae fundamentum, sed inde non sequi, eum omnibus Apostolis superiori suisse, cum ex quarta expositione constet, idem de Apostolis omnibus dictum esse. Quamvis igitur ex his Servatoris verbis forte colligi possit, Petrum inter Apostolos ratione ordinis primum suisse, inde tamen inferri non posse, Petrum eo tempore aliquid accepisse, quod ceteris Apostolis datum non sit. Nostrates subscriptibunt expositioni HILARII, quam prodidit L. VI. de Trinit. §. 36. f. 903, & per petram intelligunt confessionem ac doctrinam Petri, eodem sensu, quo Paulus Apostolicam & Propheticam doctrinam vocat fundamentum, super quo Ecclesia extorta est, Ephes. II. 20. Apoc. XXI, io 14.

## §. III.

Neque quidquam ad stabiliendum Romanorum antistitium primatum, & occumenicum in Ecclesiam dominium, facit alter locus, ubi Christus Petro dixit: *Pase oves meas*, Job. XXI, 15. Horum verborum optimus est interpres ipse Apostolus Petrus, quando in Cap. V, 2. diserte negat, τοι παντες τὸ δέδει, idem esse, ac τὸ ναπάνειρεν, & ostendit, nil aliud, quam muaus doctoris hic indicari, & pascere oves nil alicud esse, quam populum eruditire, & ad fidem in Christum, aternamque salutem, verbo & exemplo perducere. Act. XX, 28. Quod non Petri solum, quippe qui non omnes oves totius orbis pascere jubetur, sed & reliquorum Apostolorum officium fuit. Nullum igitur imperium Petro his verbis concessum fuit. Alia igitur & validiora argumenta ab adversariis adseriri debent, si probare volunt, Petrum visibile Ecclesiae caput, & Christi vicarium, ac monarcham, in his terris suisse. Hoc defuncti labore, ulterius ostendere debent, Petrum suisse episcopum Romanum propriè dictam, & per XXV annos ibi, ut ajunt,

ajunt; sedisse. Tandem etiam demonstrabunt; Romanos artistices pro successoribus Petri habendos esse, eosdemque easdem prærogativas, & eandem Apostolicam potestatem in universam Ecclesiam ab eo accepisse. Huc usque nihil attulerunt expectatione dignum, et si de his quæstionibus acerrime disputerunt, & pro primatu Rom. pontificis & imperio ejus cœcuménico, tanquam pro aris & sociis dimicarunt. Cons. post nostrates Theologos, quorum perniles & lectu dignissimæ lucubrations de hoc arguento magna copia prostant, ex Reformatis FRID. SPANHEMIUS T. II. Opp. §. XXXIV. f. 306. & JO. FORBESIUS in *Instruct. Historico-Theol.* L. XV. Cap. V. §. XV. T. II. Op. f. 688. §. 700. ubi testimonia Partium nostræ expositioni consentanea, produxit.

§. IV. Quemadmodum in Apostolica Ecclesia nihil deprehenditur, quod imperii alicujus civilis speciem præbere queat, ita alius etiam est silentium de principe Ecclesie, ac vicario Christi, summa potestate & auctoritate instructo. Omnes Apostoli erant Christi ministri & mysteriorum divinorum dispensatores, 1. Cor. IV, 1. Omnes etiam inter se ratione munieris erant pares. Hinc Paulus, et si serius Apostolis adscriptus, negat se summis Christi legaris inferiorem esse, 2. Cor. XI, 5. & XII, 11. Hanc Apostolorum æquitatem agnovit CYPRIANUS de Unitate Ecclesie f. 107. Hoc erant utique & veteri Apostoli, quod fuit Perrus, pari confortio prædiri & honoris, & potestatis. Idem Apostolus Paulus totum ordinem sacram, a Christo institutum describens 1. Cor. XII, 28. & Eph. IV, 11. neutro in loco mentionem facit summi principis, qui universæ Ecclesia præpositus sit, & vice Christi fungatur. Et præter Christum nullum aliud caput in sacris literis commemoratur. Nec opus erat, ut caput aliquod visibile, vel vicarius in Ecclesia consti-

constitueretur. Ille demum vicario indigere censetur, qui vel per absentiam, vel per imbecillitatem, & impotentiam, rebus suis præesse nequit. Quorum neutrum de Christo dici potest, secundum Matth. XXVIII, 18. 20.

In ipsa Romana Ecclesia, ab Apostolis Petro & Paullo fundata, fideles omnes, ne doctoribus quidem exceptis, erant æquales. Nam Rom. XII, 5. ἀλλάκαν μέλη membra dicuntur, non tantum in ordine ad Christum, tanquam caput, sed etiam inter se invicem. Ipsimet Episcopi Romani ab initio simplices erant verbi præcones, ab omni fastu, luxu & ambitione peralieni, ac prorsus tales, quales Apostoli Ecclesiærum antistites esse voluerunt, μὴ πατριωδεῖορτες τὸν οὐλήσον, nullum in charum Dei peculium, vel Ecclesiam, exercentes dominatum, sed τόποι γενέμενοι τὰ πομπούς, t. Petr. V, 3. 4. solita obtemperauit Christi mandato Matth. XX, 25, qui principatum inter Apostolos ferre non potuit. Sic Petrus, quem primum Papam fuisse volunt, non Episcopum œcumenicum, sed εὐαγγελισταν se appellat. Nec fastosum ejusmodi titulum affectavit CLEMENS, a Divo PETRO, ut ajunt, quartus Episcopus Romanus. Vitia & dissidia, in Corinthiorum Ecclesia invaliditura, repressurus, ut potuisset summi pontificis auctoritate, si totius orbis pontificatum habuisset. Sed tantum absuit ab hujusmodi fastu, ut literas ad Ecclesiam Corinthiacam non suo, sed Ecclesia Romana nomine scriberet, quod ipsa αὐτοψία docet. Sic S. IGNATIUS ad Romanos scribens, non exigua uititur auctoritate, & præcipit, nulla summi Pontificis, & amplissimorum ejus iurium, facta mentione. Quod tamen sanctissimus Martyr nequaquam fuisse dissimulatus, si eo tempore antistes Romanus omnium Ecclesiærum præses, summus dictator, aut Christi vicarius in terrarum orbe fuisse. Fumos igitur

igitur vendunt adversarii, dictatoriam Romanorum antistitum potestatem in universam Ecclesiam a Christi institutione repetentes, & ab incunabulis Ecclesiae Christianae usurpatam suis se contendentes, cum tamen nullum ejus vestigium vel in sacris literis, vel in genuinis antiquitatum monumentis, usquam occurrat.

## §. VI.

Non ignoramus, vulgo nobis opponi veterum pontificum epistolas decretales. Hunc in finem JO. HARDUINUS, Romanæ curiæ rem gratem facturus, in nova Conciliorum collectione, eisī alias pontificum, ac ipsius CLEMENTIS epistolas ejecit, has quisquilijs reliquit, obiter tantum monens, *eas quibusdam videri dubias*. Nos non immerito miramur, in tanta Ecclesiastica eruditionis luce, spurijs hasee merces, a quoquaque denum nebulone, seu Mercatore, seu Peccatore, utrumque enim nomen impostor assunxit, circa A. C. DCCC fabricatas, & in Ecclesiam insusto sidere illatas, a quoquam viro erudito pro genuiis agnoscere posse. DAVID certe BLONDELLUS in opere incredibilis diligentia & judicii, quod *Pseudo-Isidorus* vocatur, impostori larvam ita detraxit, & illas epistolas tam deformes exhibuit, ut nunc, fatente PHIL. LABBEO T. I. Concil. f. 78. nulla arte, nulla cerasa, aut purpurissa fucari possint. LABBEUS, Ignatiani ordinis sodalis, laudem BLONDELLO debitam dissimulavit. Sed JO. MABILLONIUS ejus institutum vehementer probat, *quod prius dedita opera his epistolis larvam detraxerit*, Tom. II. Annalium Benedict. ad A. Chr. 785. f. 275. Hunc enim personatum ISIDORUM esse nugivendulum pseudo-epistoliarum Pontificiarum consarcinatorem, Mercatorem malum, adeoque non male Peccatorem dictum. Consentit Parisiensis Praefus PETRUS de MARCA, candide fassus, eruditissimi

B

BLON-

BLONDELLI industriam eò processisse, ut sententiae & verba ipsa, e quibus epistole contextae, & a quibus auctoribus petita sint, accuratissime demonstraverit, de Concordia Sacerdotii & Imp. Lib. III. C. V. §. I.f. 156. Novum ac ultimum patris purificati JOSEPHI SAENZ de AGVIRRE pro adulterinis illis mercibus defendendis conatum, quem in *Collectione Conciliorum Hispanie* Romæ IV Tomis A. 1693 edita, passim prodidit, vanitatis convictus B. ITTIGIUS noster. Et ipse AGVIRRE, vi veritatis adactus, fassus est, earum epistolarum plerasque, prout hodie circumferuntur, vehementer suspectas esse de interpolatione, & aliis defectibus. Sepe assumpta, & parachronismos, aliosque navos irrepsisse, T. I.f. §. 3. non dissimulat. Ita vir illustris rectius quidem sapit, quam FR. TURRIANUS, & SEV. BINIUS, qui eas quisquilias sine ulla exceptione & delectu contra Centuriatores Magdeburgenses, plurimosque suarum religionis socios, tuendas suscepereunt. Sed in vindicanda earum auctoritate operam oleumque perdidit. Suffragantur nobis JOSEPHUS MOTTA de Jure Metropolitico §. CLXXII. p. 226. & FRANCISCUS BLANCHINUS, Basilica Liberiana Canonicus, & Sacelli Pontifici Subdiaconus, in Notis ad ANASTASIUM, Romæ nuper splendidissime editum, T. II. f. 99, ubi probata BARONII & JO. BONÆ sententia, putat, octavo demum seculo eas merces primum vulgasse RICULPHUM, Episcopum Moguntinum. Easdem, tanquam deformes & adulterinas, repudiaverunt BELLARMINUS, PERRONIUS, ANTONIUS AUGUSTINUS, LORINUS, SIRMONDUS, DUCÆUS, PETAVIUS, aliqui Romanæ Ecclesiæ Doctores perspicaces & cordati.

II. Ab

## II.

Ab initio omnes Ecclesiæ ministri inter se fuerunt æquales, & Episcopi ante initium seculi post Christum natum secundi supra presbyteros nec evecti, nec peculiares sacri munieris partes sibi vindicasse videntur.

## EXPOSITIO.

## §. I.

**Q**uemadmodum omnes Apostoli inter se fuere pares, & nullus in ceteros aliquam habuit jurisdictionem, sic cuncti quoque verbi praecones a Christi legatis instituti, qui nunc παπέρες, nunc διδάσκαλοι, nunc ἡγέμενοι, & προσώτες, nunc etiam ἐπίκοκποι, & ἐπίκοκπετες, hoc est, HIERONYMO interprete in *Epistola ad EVANGELUM T. IV. Op. P. II. f. 802*, *Superintendentes* vocantur, dignitate & auctoritate fuerunt æquales, & nullus in alios sui ordinis peculiarem habuit auctoritatem & potestatem, vel jura. Ignorat ævum Apostolicum illud inter episcopos & presbyteros discrimen, quale secundo demum seculo ex instituto humano in Ecclesiam inventum est. Sic Paulus Titum in Creta insula reliquit, qui hinc inde per urbes constitueret presbyteros, qui ibidem paullo post *episcopi* vocantur, Tit. I, 5. 7. In una eademque Philippiensi civitate multi episcopi fuisse dicuntur, hoc est, presbyteri, vel verbi ministri, Phil. I, 1.

B 2

Vicis.

Vicissim in POLYCARPI epistola §. V. p. 378. edit. Itigianæ, totum hoc collegium sacerdotale Ecclesia Philippensis in *presbyteros & diaconos* dividitur. Unde palam apparet, presbyteros & episcopos fuisse eosdem. *Presbyteri Ephesini*, quos Paullus Miletum evocavit, Act. XX, 17, a Spiritu S. dicuntur gregis divinioris *episcopi* esse constituti, v. 28. Eadem ratione episcoporum & presbyterorum nomina seculo secundo adhuc promiscue usurpata, & inter se permutata fuisse leguntur. Id quod apparet ex epistolis S. IRENÆI ad VICTOREM ROMANUM, & ad FLORIANUM, EUSEBII H. E. L. V. Cap. XX. & XXIV. f. 188. & 193 insertis, in quibus & POLYCARPUS, & Romani, aliquie episcopi, presbyterorum nomine filuntur. Mittimus alia veterum testimonia, quæ præter ceteros DAV. BLONDELLUS in *Apologia pro sententia HIERONYMI de episcopis & presbyteris*, CLAUD. SALMASIUS, cum in tractatu de *Primatu Papæ*, & in *Apparatu ad eum*, p. 188, tum singulari libro de *Jure episcoporum & presbyterorum*, sub WALONIS MESSALINI nomine, & CASP. ZIEGLERUS de *Episcopis L. I. Cap. 2.* aliquie, ex instituto colegerunt, non dissentiente, ex ipsiusmet Pontificiis STEPH. BALUZIO in Notis ad LUPI opera p. 367, & JOSEPHO MOTTA in *Diss. de Metropolitico Jure Venetiis Ann. MDCCXXVI* edita §. IX. p. 10.

## ¶. II.

Postea boni ordinis in sacro collegio tuendi, & dissensio-  
nis, ac schismatis præcavandi cauſa, ad exemplum Synagoga-  
rum Judaicarum, ut multis videtur, qui suos moderatores,  
& praesides, quos *Archisynagogos* vocabant, habuerunt, unus  
aliquis, auctoritate, doctrina, ætate & prudentia specta-  
bilis, reliquis εὐπρεπεστέροις præpositus est, qui κατ' ζόχην  
ē ēpi-

δέ ἐπίσκοπος dicebatur. Quod in majoribus primum ecclesiis, e. g. Alexandria, Antiochia & Romæ videtur factum. Tum, cognita instituti utilitate, orbe toto sensim paullatimque recipi cœpit, consuetudine magis & jure humano, quam divina dispositione, secundum HIERONYMUM. Qui tamet si munus pastorale, quod vera est ἐπισκοπή, a Christo institutum esse, minime negavit, illam tamen episcoporum ὑπεροχήν, eminentiam, & dignitatem, qua presbyteros antecodunt, & varia sciri muneris partes sibi solis vindicant, juris divini esse pernegavit. Palam enim pronunciat: idem est presbyter, qui episcopus. Rufus ait: Postquam diabolus insinu studia in religione facta sunt, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Post recitata plurima S. Scripturæ dicta, ad quæ nos etiam paullo ante provocavimus, Hæc propterea, inquit, attulimus, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos. Paullatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex Ecclesia consuetudine ei, qui sibi prepositus fuerit, esse subjectos: ita episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, presbyteris esse majores, Tomo IV. Operum P. I. f. 413 edit Marijanæ. Eandem sententiam alibi prodidit & confirmavit in epistola ad Evangelum T. IV. P. II. f. 803. ex Act. XX, 28. & Tit. I, 5. monstrans, eundem esse episcopum & presbyterum. Quod autem postea unus electus est, in schismatis remedium factum est; ne unusquisque ad se trahens ecclesiam Christi rumperet. Nam Alexandrinæ, quod notatu dignissimum, & certum ac exploratum HIERONYMO erat, a S.

Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium episcopos, presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat. Ex his omnibus colligit, cunctos totius orbis Christiani episcopos, ne Romano quidem excepto, munere, dignitate & auctoritate esse pares: *Ubicunque fuerit episcopus, sive Rome, sive Eugubio, sive Constantinopoli, sive Reggio, sive Alexandriae, sive Tanis; ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii.* Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorum, vel inferiorem episcopum non facit. Ceterum omnes Apostolorum successores sunt. Cadit igitur divina origo primatus episcopi Romani, quam gnathones ad naufragium usque jalicant & inculcant. Legantur SAM. BASNAGII Annales Politico-Ecclesiastici ad annum Christi LXIII. f. VII. & seq. f. 722.

### §. III.

Hæc HIERONYMI sententia vehementer displicuit Pontificiis, e quibus evolvi præ ceteris possunt ROB. BELLARMINUS de Clericis, Cap. XIV, JO. CABASSUTIUS in Notitia Ecclesiast. Sec. II. Diff. XIII. p. 44. & DION. PETAVIUS, qui Theologicorum dogmatum de Ecclesiastica Hierarchia libros quinque scripsit, in quibus potissimum de Episcopis ac Presbyteris, deque eorum differentia disputavit. Iisdem præmisserat Dissertationum Ecclesiasticarum libros duos, Tomo IV. Theologicorum Dogmatum editionis novæ sub initium hujus seculi Amstelodami impressæ, insertos f. 165. ubi de insigni episcoporum & presbyterorum differentia, ex jure divino repetenda, contra CLAUDIUM SALMASIUM & DAVID. BLONDELLUM, prolixè disputavit, nec non JO. MORINUS de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus Exercit. III. Cap. III. & EUSEB. RENAUDOTIUS in Historia Patriarcharum Alexandrino-

drinorum, Parisiis 1713 impressa, ubi tum in *præfatione*, tum in *Marco p. 7. & seq.* graviter invehitur in EUTYCHIUM Alexandrinum, orthodoxorum Patriarcham, cui *Alexandrinæ Ecclesie origines* debemus. Earum *ἀποσταριατικῶν* Arabice & latine Londini A. 1642 edidit primum, ac versione & notis illustravit JO. SELDENUS, integros autem annales Arabice & latine A. 1658. Oxonii ED. POCOCKIUS evulgavit. In illis mos Ecclesiae Alexandrinæ, quem HIERONYMUS, loco antea citato, jam commemoraverat, confirmatur, diciturque, a MARCO Evangelista usque ad HERACLAM & DIONYSIUM episcopos, illius Ecclesiae presbyteros semper unum ex se electum in excelsiore gradu collocatum, suarumque impositione manuum inauguratum, Episcopum nominasse. Eam ob rem RENAUDOTIUS post JO. MORINUM l. c. Exercit. VII. Cap. 7. & ABRAH. ECCHELLENSEM, Maronitam, ejus *Eutychius Vindicatus* Roma A. 1661 editus prostat, & in EUTYCHIUM, & quem hic sequacem habet, GEORGIUM ELMACINUM, ejus *Historia Saracenica* Arabice & latine TH. ERPENI cura Lugduni-Bat. A. 1625 prodidit, nec minus in SELDENUM atque POCOCKIUM vehementer debachatur, contendens, EUTYCHIUM nullius fidei hominem esse. Nec ejusmodi sursuris auctorem barbarum, & unicum, qui decimo demum seculo scripsit, constanti universæ Ecclesiae traditioni de episcopis per tres alias episcopos ordinandis opponi posse. Neque enim in historia, nec in Arabum monumentis, nec in Coptitarum, Jacobitarum vel orthodoxorum Melchitarum libris quidquam reperiri, quod vel levissimam EUTYCHIO fidem & auctoritatem conciliet. SELDENUM vim vocum Arabiarum non intellexisse, & verba EUTYCHII mala fide vertisse, eamque versionem corruptam POCOCKIUM, ut famæ Seldenianæ consuleret, retinuisse, eum in textu  
Arabi.

Arabico non de Patriarchæ ordinatione, sed de electione dunitaxat sermo sit. Nam Praefules Alexandrinos a plebe & clero electos, ut omnium aliarum ecclesiæ disciplina prescribatur, ordinatos fuisse ab Episcopis, p. 10. Sed ipse RENAUDOTIUS se refellit, quando l.c.p. 19. in JULIANO, XI Patriarcha, refert SEVERUM, Aschmoniæ Episcopum, & historiam Patriarcharum Alexandrinorum Arabicæ auctorem, quem alias EUTYCHIO opponit, scribere, quod nullus ab eo tempore Episcopus Alexandriae manserit. Ibidem p. 54. in PETRO MARTYRE, XVII Patriarcha, ait, SEVERUM scribere, post obitum THEONÆ congregatos fuisse Alexandriae sacerdotes, & plebem, manusque imposuisse super Petrum, filium ejus spirituali ruitalem, & discipulum, sacerdotem, eumque collocasse in solio Patriarchali Alexandrino, juxta THEONÆ mandatum, anno decimo Diocletiani Imperatoris. Quibus verbis omnino aliiquid praesidii inest ad confirmandam SELDENI de presbyteris, Patriarcham ordinantibus, opinionem, et si RENAUDOTIUS, partium studio impeditus, illud non animadvertisit. Rursus in DAMIANO, XXXV Patriarcha p. 145. hæc ex SEVERO narrat: Anno octavo patriarchatus DAMIANI Acephali, ex eorum reliquis, qui a Petro Moggo secessionem fecerant, cum apud illos quatuor tantum sacerdotes superessent, habitis inter se consiliis, seniorem quatuor illorum sacerdotum, nomine ARISTOCHAM, Episcopum ordinarunt tres reliqui. Propria igitur vineta cædit RENAUDOTIUS, dum sacerdi cogitur, episcopos aliquando in Ecclesia Alexandrina a presbyteris ordinatos esse, sicuti CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS Cancellarius Tübingerensis Celeb. in Originibus Juris Eccles. p. 56. recte observavit.

## §. IV.

Ab HIERONYMO periinde ac nobis etiam dissentire potest.

potestatis episcopalis fautores in Anglia, singulatim HENR. HAMMONDUS, qui Dissertationibus quatuor Londini A. 1651 editis contra BLONDELLUM, SALMASIUM, aliosque, episcoporum eminentiam supra presbyteros ex jure di-vino, & primæva antiquitate afferuit. Pro eadem episcopatus dignitate, & potestate, ab ipso Christo instituta, laborarant JO. PEARSONIUS, Præsul quondam Cestriensis, qui *Vindicias epistolarum S. IGNATII contra JO. DALLÆUM* scripsit, Patribus Apostolicis, a JO. CLERICO editis, etiam ad-jeclias, in quibus perinde ac in *Operibus posthumis*, Londini cum H. DODWELLI Dissertatione an. 1688. impressis, hoc argumentum non exiguo eruditio[n]is apparatu tractavit. His accessit GVIL. BEVEREGIUS, antistes Assaphensis, in *Codice Canonum Ecclesie primitive illustrato*, eidemque Patrum Apostolicorum collectioni adjecto, nec non PARCKERUS, in *Relatione de Reginine Ecclesie Christianæ seculis VI prioribus*, JOSEPH. BINGHAMUS, L. II. Orig. Eccles. Cap. I. aliquae minorum gentium Dii, in præfens non commemo-randi. Omnia instar esse poterit HENR. DODWELLUS, qui *Diff. Cyprianica X.* & *Diff. I.* in IRENÆUM p. 77. multo labore & apparatu probare ausus est, episcopatum supra pres-byterorum ordinem, non facti tantum esse, aut juris Eccle-siastici, sed & juris divini. Ab IRENÆO enim & TERTULIANO supponi communes omnibus Ecclesiis Apostolicis Monarchs, ut ne una quidem Ecclesia Apostolica alio etiam-num usa esset regimine, quam monarchico. Non novatum esse Ecclesiæ monarchicum regimen, ab Apostolis relictum, sed in episcopis purum illibatumque conservatum fuisse.

## §. V.

Contra autem ex EUTYCHIO HIERONYMUM defen-dit JO. SELDENUS, Anglus, in notis ad EUTYCHII *Origines*

C

Alexan-

Alexandrinas antea laudatas. Eadem sententia non solum a duumviris præstantissimis DAV BLONDELLO & CLAUD. SALMASIO, solide ac pererudite defensa fuit, sed placuit etiam JO. DALLÆO, MATTH. LARROQUANO, JO. FORBESIO, ac omnibus nostræ Ecclesie Theologis, qui, præente JO. GERHARDO, DANHAUERO, & HULSEMANNO, eam in scholis suis diligenter inculcare solent. Nec ratio appetat, cur nunc demum displicere debeat opinio, quæ HIERONYMI aetate palam divulgata, neminem offendit, nec ab ipso met DAMASO, Romano illius atatis antislide, in cuius contubernio & familiaritate Doctor Stridonensis Romæ aliquandiu habuit, legitur reprehensa. Num existimabimus, omnes orbis Christiani episcopos tacituros fuisse, si HIERONYMUS tam venerabili ordini injuriam fecisset, & contra iura divina tam graviter impegisset? Conf. B. J. FRANC. BUDDEI *Exercitatio de origine & potestate Episcoporum*, Jenæ A. 1705. excusa, ubi singularem H. DODWELLI sententiam examinavit, & solide confutavit. Certe in S. literis nulla lex exstat, vel mandatum aut dictum, quo dissentientium opinio fulciri possit. Apostoli enim hue non pertinent, quippe qui episcopi propriæ dicti non fuerunt, quales certæ ecclesia præfici, & uni loco adstringi solent. Contra ea Apostoli doctores erant oecumenici, in mundum universum, ad Evangelium *omnibus gentibus* an布unciandum, emissi, Matth. XXVII, 19. Quoniam igitur nusquam in saero codice distinctio episcopi & presbyteri commemoratur, nos eorum accedimus sententiæ, qui opinantur, hos utrosque doctores omni ex parte fuisse pares. Quis enim eredat, Christum vel legatos ejus, de hoc discrimine nihil fuisse præcepturos, vel commemoraturos, si illud instituti divini ac perpetui juris fuisse? Credi proinde nequit, ab ipso met Apostolorum collegio eam rem manasse,

aut

aut cum ipso nascientis Ecclesiæ exordio invaluisse. Legibus demum Ecclesiasticis, & boni ordinis tuendi caussa, episcoporum eminentia & auctoritas super presbyteros introduci coepit. Vix tamen ante initium seculi secundi videtur recepta, nisi quis hoc referre velit Angelos illos, Ecclesiarum Asiaticarum antistites, qui Apoc. II. & III. commemorantur. Sed a presbyteris non videntur distingui, aut illis praefuisse. In CLEMENTIS epistola ad Corinthios de hoc instituto nihil occurrit. Quin potius ex §. XLII. apud COTELERIUM f. 170. colligas, episcopos & presbyteros CLEMENTI eosdem fuisse. Ait enim, ab Apostolis *Episcopos & Diaconos per regiones ac urbes constitutos esse.* Duo igitur dumtaxat ordines in clero illius ætatis agnoscantur, *episcoporum* videlicet, sive presbyterorum, & *Diaconorum*, quidquid demum COTELERIUS in Notis dicat. Et §. XLIV. nomina episcopi & presbyteri inter se permutantur. Ac paullo post §. LVII. f. 178. Corinthiis, dissensione animorum distractis, hoc unicum antistes Romanus commendat, ut subditi sint presbyteris. Inente seculo secundo POLYCARPUS in epistola ad Philipenses §. V.f. 186. T. II. Patrum Apost. omnes voluit esse ἄποστολούς τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διάκονοις, tanquam Deo § Christo, episcopo ne quidem nominato.

## §. VI.

In IGNATII autem, antistitis Antiocheni, epistolis minus interpolatis, frequens est mentio episcoporum, presbyteris superiorum. In epistola ad MAGNESIANOS §. II.f.18. eorum episcopus DAMAS celebratur, & a presbyteris BAS- SO ac APOLLONIO, perinde ac a SOTIONE diacono distinguitur. Ibidem §. VI dicitur, *Episcopos præsidere DEI loco, presbyteros autem loco senatus Apostolici.* In epistola ad EPHESIOS Num. II.f.12. vult, ut ὑποτατόμενοι τῷ Ἐπισκόπῳ καὶ τῷ

C 2

πρεσβύτ

τοι

πρεσβυτέλω περ ομνια σινταγματικοί. Ibidem Num. IV presbyterium ita coaptatum episcopo esse ait, ὡς χρηστός καθάρει, sicut chordæ citharæ. In epistola ad PHILADELPHI. Num. VII.f.32. episcopo vult attendi, & presbyterio, & diaconis. In epistola ad TRALLIANOS Num. VII.f.24. illum in conscientia mundum esse negat, qui sine episcopo & presbyterio & diacono quidpiam agat. In epistola ad SMYRNAEOS verba occurunt notatu digna §. VIII.f.37. Omnes episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, & presbyterium, ut Apostolos. Nos non solicitabimus harum epistoliarum ἀνθετικῶν, fidem atque integritatem, nec capiemus ex locis, pro episcoporum dignitate citatis, νοθεῖας argumentum, sicut post CENTURIATORES MAGDEB. BLONDELLUS, SALMASIUS, DALLÆUS, ejusque ἐπεραποιήσης LAROQUIUS, & alii, fecerunt. Satis eas vindicarunt USSERIUS, IS. VOSSIUS, HAMMONDUS, COTELERIUS, PEARSONUS, BULLUS, aliquie. Id faltim quilibet, a partium studio alienus, largietur, ab IGNATIO nusquam dici, episcoporum potestatem, qua presbyteris antecellunt, & præsunt, juris, esse divini. Loquitur etiam non de primatu imperii, sed ministerii, ordinis & sessionis. Unde etiam πρεσβύτεροι, πρεποσῖ & πρæsidentes fuerunt dicti. Nam episcopi nomen non solum honoris, sed & munieris, curæ & ministerii erat, cum prærogativa πρεσβετερίας, vel πρεσβυτερίας, ac paullo post etiam cum χειροτονίας jure conjuncta. Hac ætate de episcoporum ἀρχῇ, jurisdictione, imperio, throno, tribunal, ac ceteris titulis, ad pompam postea fastuose excogitatis, altum erat silentium. Ex ipsa S. Martyris diligentia in episcoporum auctoritate commendanda, & ornanda, non obscure appetet, illo tempore hanc constitutionem, qua antisites supra secundi ordinis ministros evèchabantur, adhuc novellam, & in orientis forte, ac majoribus Ecclesiis

clesiis tantum receptam fuisse. Viris eruditis, & antiquitatum ecclesiasticarum gnaris, in mentem venit, per νεωτερικὴν τάξιν in epistola ad Magnesianos §. III. f. 18. hoc ipsum institutum de supereminencia episcopatus, noviter introductum, S. IGNATIUM intellexisse. Primus hoc argumentum episcopatus patronis opposuit LUD. CAPPELLUS in *Theſibus Salmurienſibus de episcopi & presbyteri diſcrimine*, qui vertit novellam institutionem. De nova institutione, vel novo ordine exposuit SALMASIUS, in quem paullo impotentius invehitur JO. PEARSONUS in *Præfatione ad Vindiciaes Ignatianas*, ostendens, vocem νεωτερικῆν notare ætatem episcopi juvenilem, quemadmodum 2 Tim. II, 22. νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι sint juveniles cupiditates, quas voces tamen SALMASIUS maluit vertere rerum novarum cupiditates. Secundum PEARSONUM idem hic dixit IGNATIUS, quod Apostolus præceperat 1 Timoth. IV, 12. μηδέσις τὰς νεότητος καταφέρετω. Hunc sensum attigit interpolator, τὴν Φωνομένην νεότητα commemo-  
rans. Quæ verba ad ætatem DAMÆ juvenilem, quæ ex vultu ipsius elucebat, referri debent. Neque tamen prorsus abnuit TH. SMITH in scholio ad hanc IGNATII verba p. 78, tempus nuperæ recentisque ordinationis hic quoque intelligi posse. Sed viris Graci sermonis peritis, & a studio partium alienis, ταῖς voci νεωτερικῇ addita, magis alicujus ordinis, vel instituti novitatem, quam statum ætatis juvenilis videbitur indicare.

## §. VII.

De TERTULLIANO & CYPRIANO non est, ut multa dicamus. Uterque non tantum episcoporum urget successionem, sed & hos a presbyteris diligenter distinguit. S. IRENAEUS τὰς προετῶτας ἐν ταῖς ἐκκλησίαις commenorat passim, sed presbyteros ab episcopis explicate satis non distinguit. Contra ea PIUS, antistes Romanus A. Chr. CXLVI in HYGINI locum post quadriennii vacationem suffectus, Ep. II. ad JUSTUM

C 3

VIEN.

VIENNENSEM scripta, quam BLONDELLUS *Apol. p. 18.* pro genuina habet, eum *episcopum* vocat, & a presbyteris ac *diaconis*, qui ei subsint, distinguit, sed diserte negat, JUSTUM illum, ad προσδέχεται evenctum, ut majorem a presbyteris & diaconis observandum. Quo ipso non obscure indicat, illum ceteris collegis suis parem, & jure tantum humano illorum caput & superiorem constitutum esse, quemadmodum idem BLONDELLUS *I. c.* recte observavit. Frequens etiam est horum ordinum discriminē apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM, ORIGENEM ac TERTULLIANUM, qui in hoc consentiunt omnes, eo tempore episcopos a presbyteris suisse diversos. An autem ordo episcoporum, quatenus a presbyteris distinguitur, ratione originis ad JOANNEM auctorem referri possit, qua TERTULLIANI sententia suisse videtur *L. IV. adversus Marcionem, Cap. V.* non satis liquet.

### III.

Etsi gubernatio Ecclesiæ & jurisdictio sacra ab initio penes solos episcopos non fuit, & presbyterorum etiam ac diaconorum ordo, ne plebe quidem exclusa, in partem regiminis ac judicii Ecclesiastici venit: non exigua tamen iam tum fuit episcoporum auctoritas, & subinde majora cepit incrementa.

EXPO-

## EXPOSITIO.

## §. I.

**D**uo sunt hujus assertionis momenta, idoneis veterum testimoniis, fidei facienda causa, fulcienda. Ab initio Ecclesiarum regimen penes seniores ac universum clericorum collegium fuit. Episcopi eisdem ~~per~~ & aliqua honoris, ac ordinis prærogativa gaudebant, & directorum in causis Ecclesiasticis exercabant: proprio tamen jure nullam jurisdictionem sibi vindicabant, multo minus absolutum imperium asseclabant, probe scientes, se non subjectionis lege, sed mutui fœderis, ac conventionis fraternali jure, plebi Christianæ præesse. Hinc nihil gravioris momenti sine presbyterorum, quin & diaconorum consilio, ac populi consensu leguntur factitasse. Sic POLYCARPUS non solus literas ad Philippenses scripsit, sed & una ei omni ~~et~~ πρεσβύτεροι. IGNATIUS epistola ad Philadelph. Num. VII plebem attendere jubet & Episcopo & presbyterio & diaconis. CONSTITUT. APOSTOL. L. II. Cap. 28. f. 241 Presbyteri dicuntur ὑπερέλατης ἐπισκόπος, Episcopi consiliarii, & adjutores. Sic CYPRIANUS Epist. XIV f. m. 33. edit. Fellianæ ait, se a primordio episcopatus sui statuisse, nihil, quod videlicet ad disciplinæ Ecclesiastice rationes pertinebat, sine consilio Presbyterorum & Diaconorum, & sine consensu plebis sua privatim sententia gerere. Sequente epistola XV. f. 35 idem CYPRIANUS ait, se pro restituenda Ecclesia disciplina ad clerum & ad plebem literas fecisse. Autea dixerat Epist. IV ad Pomponium f. 7: Primo loco & propositis & plebi nihil aliud elaborandum esse, quam ut discipline divina precepta teneamus, nec patiamur, errare fratres nostros, & pro arbitrio

arbitrio & ruitu suo vivere, sed ad vitam singulis fideliter  
consulamus. Presbyteri & Diaconi Romæ consitentes CY-  
PRIANO significant Epist. XXX. f. 58 post FABIANI exces-  
sum nondum esse, propter rerum & temporum difficultates,  
episcopum constitutum, qui omnia moderetur, & eorum,  
qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & consilio habere ratio-  
nem. Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod  
& tu ipse tractasti prius, Ecclesiae pacem sustinendam, deinde  
sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Dia-  
conis, Confessoribus, pariter &stantibus laicis facta,  
lapsorum tractare rationem. Similiter presbyteri MOYSES  
& MAXIMUS cum Diaconis ac Confessoribus nonnullis in li-  
teris ad CYPRIANUM datis, Num. XXXI. f. m. 63 arimad-  
vertunt, grande delictum non oportere nisi caute moderate-  
que tractari, consultis omnibus Episcopis, Presbyteris, Dia-  
conibus, Confessoribus & ipsi stantibus laicis, ut in suis li-  
teris & ipse testatus erat CYPRIANUS. Tam eximia illo tem-  
pore fuerunt plebis Christianæ jura, ut sine illius suffragiis ne  
episcopus quidem constitui potuerit. Sic factus esse dicitur  
CORNELIUS Episcopus cathedra Romana de DEI, & Chri-  
sti ejus judicio, & de clericorum pene omnium testimonio, de  
plebis, quæ tunc affuit, suffragio, & de sacerdotum anti-  
quorum & bonorum virorum collegio. Alibi Epist. XIX. f. 42  
inculcat, lapsis publicam Ecclesiam pacem expectandam esse.  
Hoc enim & verecundie & disciplina & vita ipsi omnium  
nostrum convenit, ut præpositi cum clero convenientes, præsen-  
te &stantium plebe, quibus & ipsis pro fide & timore suo  
honos habendus est, disponere omnia consilii communis religio-  
ne possimus. Secundum CYPRIANUM Ecclesia non in foliis  
Cleri-

Clericis consistit, sed in Episcopo, & Clero, & in omnibus sacerdotibus est constituta, Epist. XXXIII. f. 66. Hoc iacto fundamento, recte docet Epist. LIX. f. 137, non sine assensu plebis profugos ab Ecclesia recipiendos esse. Semetipsum accusat, quod, obnitente & contradicente plebe, quosdam lapsos tam facile reperit, qui tamen postea peiores extiterint. Unde justior factus sit fraternitatis dolor.

## §. II.

Hæc prolixius exposita confundunt H. DODWELLUM, qui in Diff. Cyprian. VII. §. 46, jure omni plebi ademto, contendit, penes solum Episcopum *absolutissimum jus fuisse*. Hoc suo jure Episcopum nonnunquam ait cessisse, & ad proprii sui juris exercitum plebem, & quosdam ex clero admisisse, sed non ex necessitate, sed libera voluntate. Quæ opinio non solum sanæ rationi, & doctrinæ Christi, ac praxi Apostolorum refragatur, sed & dissentit ab ipsomet CYPRIANO, cuius præsidio DODWELLUS sese munivit. Præsul ille vice plus simplici plebis jura defendit, aitque, *integrum esse populo, Episcopo, injusta decernenti, resistere*. Hoc palam declaravit in causa BASILIDIS & MARTIALIS, Episcoporum Hispanar, qui cultu idolorum sese commaculaverant. In epistola enim LXVII ad clerum & plebem Legionensem & Emeritensem exarata f. 171, monet, *plebem preceptis Dominicis obsequenter, a peccatore præposito se separare debere*. Ipsam maxime habere potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi, h. e. deponendi & removendi. Quis igitur credit DODWELLO, cum ait, veteres Episcopos *absolutissimos Dominos in Ecclesiis fuisse*, si plebs a sacrilego & commaculato episcopo sese jure potuit separare, eundemque a munere sacro removere, atque alium eligere? Quod CYPRIANUS plebi Hispanæ l. c. diserte suasit. Conferatur ejus epistola LXVIII.

D

f. 177,

f. 177, ubi literas ad plebem Arelate consistentem vult dirigi,  
ut rejecto Marciano, qui se Novatianis sectariis adjunxerat,  
alius Episcopus in ejus locum substituatur.

## §. III.

Crevit tamen Episcoporum dignitas, auctoritas & potestas,  
ubi Christianorum sacra ad Liturgia Judaea rationem compo-  
ni, & antistites *summis sacerdotibus* æquiparari cœperunt. Pri-  
mus omnium *summi sacerdotis* nomen Episcopis tribuit TERT-  
ULLIANUS, quando *Libro de Baptismo C. XVII. p.m. 115* ait:  
*Dandi quidem baptismi habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus.* Dehinc presbyteri & diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate. AUCTOR *Questionum V. & N. Test.*  
*Ques.* CI. repetita, probataque TERTULLIANI sententia, ait:  
*Quid est Episcopus, nisi primus Presbyter, id est, summus sacerdos.* Hoc nomen de Episcopis HIERONYMUS crebro usurpavit. In Dialogo contra Luciferianos putat, *Ecclesiæ salutem in summi sacerdotis, h. e. Episcopi, dignitate pendere.* SIDONIUS APOLLINARIS L. IV. Cap. XI Galliæ Episcopos summos vocat Pontifices. Auctori commentarii in Ephes. IV, qui sub nomine AMBROSI prostat, Episcopus est *primus sacerdos*, hoc est, *princeps sacerdotum.* Sic Parres Concilii Aga-  
thensis *Can. XXXV. T. II. Concil. HARDUINI f. 1002* jubent unumquemque Metropolitanum comprovinciales episcopos suos ad *Ordinationem summi Pontificis*, h. e. episcopi, invitare. Quando igitur TERTULLIANUS antistitem Ro-  
manum *Libro de Pudicitia Cap. I. p.m. 466* nuncupavit *Pontifical Maximum, & episcopum episcoporum*, non habent adver-  
sarii, de quo magnopere glorientur. Hoc enim nomen olim omibus Episcopis commune erat. Sic SIDONIUS APOL-  
LINARIS L. VI. *epistola prima ad LUPUM*, celebrem Galliæ Episcopum, exarata, eum appellat *Patrem Patrum, & Episco-*

pum

pum Episcoporum f. 155. edit. Sirmondi. Et TERTULLIANUS  
*episcopu[m] locutus est*, quia intelligebat, Romanum antistitem  
 summum pontificatum, vel potestatem quandam, ad instar Pon-  
 tificis Maximi Judæorum, affectare. Quem fastum reprehen-  
 dit pius Afer & exagit.

## §. IV.

Occasionem his aliisque luxuriantibus, & fastosis antisti-  
 tum sacerorum titulis, dedit jus sacerdotale Judaicum, in Eccle-  
 siam Christianam a CYPRIANO, aliisque Doctoribus, dignita-  
 tis episcopalibus amplificanda & propaganda causa, impruden-  
 ter introductum. Legatur *Epistola III.* nec non *Ep. LIX. f. 128*  
 & *Ep. IV.* ad POMPONIUM de quibusdam immorigeris con-  
 sulentem, exarata. Satis intelligetur, Præfulem illum Cartha-  
 giniensem existimasse, episcopos de *divina dignatione*, ut lo-  
 quitur, h. e. jure divino, eandem habere auctoritatem & po-  
 testatem, qua gavisi sunt sacerdotes veteris Oeconomia, & ad  
 illos pertinere legem Deut. XVII, 12, vi cuius episcopis eadem  
 obsequentia debeat praestari, qua summo Judæorum sacerdoti  
 & Judici olim deferri solebat. Qualis tamen potestas regia  
 pro pœmodum erat, & a simplicitate Apostolica prorsus abhor-  
 rebat. CYPRIANUS equidem, aliique istius ætatis antistites,  
 modestia & pietate commendabiles, hac sacerdotali auctorita-  
 te & potestate, ex jure Leviticorum sacerdotum sibi asserta,  
 moderate usi sunt, & plebi jus suum non ademerunt. Sed paulo  
 post, hoc fundamento semel jacto, non solum publica Chri-  
 stianorum sacra, qua ab initio Judaicæ Synagogæ institutis ma-  
 gna ex parte, sicut CAMP. VITRINGA peculiari libro am-  
 plissime demonstravit, conformia erant, ad splendidum Tem-  
 pli Hierosolymitani apparatum componi, & adytum non solum,  
 ac aræ extriui, atque luminaria, & thymiamata accendi, sed &  
 antistitum dignitas atque jura ita cœperunt amplificari, ut su-

prema potestas, & jurisdictio Ecclesiastica, excluso cleri atque plebis suffragio, penes solos Episcopos resideret. Accedebat multorum ambitio & avaritia, qui, divinarum rerum procuratione contemta, unde tamen *episcopi* nomen acceperant, rerum secularium siebant procuratores, & derelicta cathedra, desertaque plebe, per alienas provincias oberrabant, *negotiationis quæstusæ nundinas aucupantes*, quemadmodum ipse conqueritur CYPRIANUS de *Lapsis* f. 123. Nec pauci jactabant Apostolorum successionem, & sibi vindicabant non solum dona extra ordinem Apostolis concessa, sed & eorum prærogativas ac potestatem, rati persuasique, Ecclesiam super Episcopos constitutam esse, & omnem actum Ecclesia per eosdem præpositos gubernari. In hoc luto hæsit etiam CYPRIANUS, ut apparet ex *Epistola III.* f. 6. & *Epist. XXXIII.* f. 66. Perincommoda hæc sententia, quod Episcopi sint in omnibus Apostolorum successores, CYPRIANO non semel, aut aliquoties dumtaxat, ex imprudentia forte excidit, sed teste J. OXONIENSI in notis ad *Epist. XLV.* f. 88. ab eo fere perpetuo ingenit. Quid igitur mirum, recentiores Episcopalis dignitatis defensores, imprimis H. DODWELLUM, ex CYPRIANO præcipua fulcimenta petuisse.

## §. V.

Quis etiam miretur, episcoporum dignitatem, favente temporis opportunitate subinde auclam, & summum honorem iis delatum esse? Sic in aliquo HONORII ac VALENTIANI Imperatorum rescripto *sandi & venerabiles sacerdotes* primi ordinis dicuntur homines, *quibus omnis terra caput inclinat*, apud H. VALESIUM in Notis ad THEODORETI *H. E. L. IV. Cap. VI.* f. 31, qui allatis plurimis exemplis ostendit, Christianos olim occurribus episcopis caput submittere consueuisse, ut benedictionem ab iis acciperent. Hunc morem,

morem, cuius multa vestigia in vetustis libris supersunt, non homines dumtaxat ex vulgo, sed & Reges ac principes observarunt, genibus sacerdotum colla submittentes, & manus eorum osculantes. Non muniemus nos, sicut multi fecerunt, testimonio AMBROSII ex libro de *Dignitate sacerdotali* petito, qui exstat in Appendix Tomi II. Operum, ubi Cap. II. f. 359. dicitur: *Videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum, & ex osculari eorum dexteris, orationibus eorum credant se communiri.* Nam ille libellus nec filo, nec ingenio Ambrosiano respondet, sed alius, & recentioris est auctoris, quemadmodum monachi Benedictini candidè adnotarunt. Restius hoc refertur, quod PAULINUS in Vita AMBROSI Tomo II. subjecta in Appendix f. 11. §. 4. memorat prodidit, quod ille Praeful, adhuc adolescentis, cum videret sacerdotis manus a sorore & matre vidua ex osculari, ludens obrulerit dexteram, dicens, *Ego sibi id ab eis fieri oportere, siquidem se episcopum futurum esse memorabat.* JO. CHRYSOSTOMUS de MELETIO, ad Antiochenum pontificatum electo, loquens, ait, ei ad urbem venienti, universam civitatem obviam ivisse, & alios quidem, qui prope accesserint, & pedes ejus apprehendisse, & manus osculatos esse, καὶ ποδῶν ἵπποτο, καὶ χειρῶν κατεψησεν, Homilia XLV. in Melet. T. I. p. 523. Idem appetat ex Sermonе HILARII contra CONSTANTIUM, §. X. f. m. 1245. edit. Benedict. ubi Imperatorem alloquitur: *Osculo sacerdores excipiunt caput benedictioni submittis.* Inde illustratur THEODORETI locus antea commemoratus, quando dicit, VALENTINIANUM Imp. episcopis, novum Praefulem Mediolanensem electuris, mandasse, ut talem in pontificali cathedra collocarent, cui nos quoque, *qui imperium administramus, εἰληφών τὸς ἡμετέρας ὑποκλίωμεν κοφαῖς, sincera voluntate capita nostra submittamus,* H. E. Libro IV. Cap. VI. f. 157.

Eundem hunc morē commemoravit JO. CHRYSOSTOMUS *Homilia III.* ad populum Antiochenum T. I. Op. f. 42. Cui simile est, quod scribit MARCUS Diaconus in vita PORPHYRII, Gazensis episcopi, Eudoxiam Augustam ipsis in palatium venientibus non semel occurrisse, & priorem ipsos salutasse, atque, ut sederent, iussisse, & inclinato capite, *ut benedicerent*, postulasse. Hæc veneratio fastum antistitum mirum in modum auxit, ut nonnulli ipsis principibus se se non putarent inferiores. Narrat SUIDAS, LEONTIUM, Tripolis Lydiæ episcopum, nunquam induci potuisse, ut EUSEBIAM, Imp. CONSTANTII uxorem, inviseret, nisi ea conditione, ut Augusta venienti ipsi de throno adsurgeret, cum reverentia ipsi obviam procederet, & caput ejus manibus supponeret, benedictionem acceptura. Addebat & hoc, se sessurum, Augustam autem verecunde debere stare, tum demum, cum iusserit, signo dato, sessuram. Hunc SUIDÆ locum sub voce Δεύτιος ex PHILOSTORGII Hist. Ecclesiastica, cuius excerpta tantum hodie supersunt, depromptum esse putavit H. VALESIUS, qui propterea ad calcem PHILOSTORGII inter fragmenta illius scriptoris f. 545. hanc narratiunculam retulit. Quid igitur mirum, antistitum nomen, ab eo præsertim tempore, quo Imperatores suæ religionis consortes habuerunt, in tantum fastigium elevatum esse, ut *sacerdotes summi, principes sacerdotum, pontifices maximi*, nec non ΑΡΧΟΝΤΕΣ ἐν τῇ ἔκκλησι, & ΒΑΣΙΛΕΙΣ, ΔΥΝΑΣΤΑΙ, ΔΕΣΠΟΤΑΙ, & ΚΥΡΙΟΙ, quin & *monarchæ*, ac ΕΠΙΓΕΙΟΙ ΘΕΟΙ, *Dii terreni*, appellarentur, ac ἐν αὐθεωποις Θεοῖς τύπον ἔχεν, inter homines Dei figuram obtinere, censerentur, Libro II. Constitut. Apost. Cap. XXVI. & XI. f. 219. ad quæ verba legi merentur J. B. COTELERII Adnotationes. Quid etiam mirum, episcopos dici cœsse

pisse

pisse vicarios Christi & Dei. Sic AUCTOR Questionum V. & N. Test. monerit, antistitem ceteris puriore esse oportere, quia sit *Vicarius Dei*, ejusdemque habeat personam, in Appendix Tomi III. D. AUGUSTINI f. 125. edid. novæ Antwerp. In eadem sententia fuit CYPRIANUS, quando vice plus simplici inculcat, sacerdotes vice Christi vere fungi, quando id, quod Christus fecit, imitantur, Epist. LXIII. f. m. 155. Alibi in Epistola ad CORNELIUM ROM. quæ LIX. est, f. 129. ait, schismata non aliunde nata esse, quam inde, quod sacerdoti DEI non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitat. RIGALTIUS ad h. I. lubenter & ultro fassus est, hoc de omnibus universi orbis episcopis intelligi debere: *Eccœ episcopos ævo jam Cypriani vicarios Christi*. Conferri possunt JOS. BINGHAMUS Libro II. Originum Eccles. Cap. II. §. VI. & IS. CASAUBONUS Exercit. XV. C. XI. p. 259.

## IV.

Ab initio omnes Episcopi inter se erant æquales, neque Romanus, nec ullus alias quidquam juris habebat in episcopos ceteros.

## EXPOSITIO.

## §. I.

**O**MNES Episcopos inter se parés, & nullum alteri obnoxium, vel obligatum fuisse ad reddendam munera administrati rationem, CYPRIANUS Epistola LXXII. f. 198.

f. 198. dilucide confirmat, quando ait: *Nos nec vim cuiquam facimus, aut legem damus, cum habeat in Ecclesiæ administratio[n]e voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Praepositus, rationem actus sui, non Præfuli Romano, tanquam orbis Christiani monarchæ, ac judici cœcumeno, sed Domino, vide-licet Iesu Christo, τῷ ἀρχιτεκτόνῳ, redditurus.* Hinc CYPRIANUS cum CORNELIO, antistite Romano, agit, ut cum æquali, & appellat illum *fratrem, collegam & coëpiscopum*, Epistolis LI. f. 94. LII. f. 95. LV. f. 103. LVII. f. 116. Unde recte colligitur, hos antistites inter se fuisse pares.

## §. II.

Quilibet Episcopus in sua diœcesi pro arbitrio faciebat, quidquid gregi suo proficuum, ac utile fore censébat, dummodo purior doctrina nullum pateretur detrimentum. Testes hujus libertatis sunt veteres Liturgia & Symbola, ab Episcopis composita, quarum non exigua varietas deprehenditur in Ecclesia antiqua. Notæ sunt precandi formulæ, & descriptiones ordinis, in sacris administrandis observandi, quæ nōmina PETRI, ANDREÆ, JACOBI, BASILII, CHRYSOSTOMI, aliorumque præ se ferunt, & a Latinis *ordo agendi, cursus, officium, a Græcis ἀνολαθία, & Αρτεργεία;* nec non *ῥόμαι & ἐν χοῦν διατάξεις*, vocantur. Singulæ propemodum Ecclesia majores peculiares habebant liturgias, vel ab ipso antistire, aut sub ejus auspiciiis, pro istius temporis libertate, compositas, vel auctas, & interpolatas. Unde nata est tanta formularum Liturgicarum diversitas, ut Ambrosiana, e. g. a Romana, & ab hac Africana, magnopere dissentiat, quemadmodum liquet ex nonnullis locis, quæ a MARIO VICTORINO AFRO, & FULGENTIO RUSPENSI in fragmentis a SIRMONDO editis, citantur, & in Romano Ordine, fatente JO. BONA, non reperiuntur.

tur. Vid. BONÆ Rerum Liturg. Lib. I. Cap. VII. Num. III. p. 350. Etsi regula fidei secundum TERTULLIANUM, de Velandis Virg. Cap. I. p. 57, una omnino, immobilis, & irreformabilis, per universam Ecclesiam erat, modi tamen eam enunciandi erant diversi, & verborum formulæ inter se omni ex parte non consentiebant, quemadmodum ex illis, quæ apud IRENAEUM, TERTULLIANUM & CYPRIANUM hodiecum exstant, apparat. Et sicuti symbolum EUSEBII, & ipsius Ecclesiæ Cæsareensis, differt ab Hierosolymitano, in quod CYRILLUS commentatus est: ita nec Cyrillianum cum eo, quod in Liturgia JACOBI exstat, omni ex parte congruit. Similiter symbolum Aquilejæ, & RUFINO comminoratum, diversum est a symbolo Romano, quod illud ipsum est, quod Symbolum Apostolicum vulgo dicitur. Quæ formalium varietas non aliunde, quam ab antiquitate libertate derivari potest, qui pro arbitratu suo, & Ecclesiæ utilitate, modum sacra celebrandi, & confessionem fidei edendi, præscribebant, vel immutabant. Eadem *autovaria*, & libertas, apparet ex jejuniorum iudicione, quibus agendis certi dies ab antiquitate constitui solebant. Unde siebat, ut unus & idem dies in Africa ab his Ecclesiæ jejunio, ab aliis festivitate transigerentur, quin & in uno eodemque cœtu alii jejunarent, & alii pranderent. Ea dissensio circa jejunium sabbathi CASULANO presbytero valde incommoda, & deformis videbatur, qui, cum scrupulum D. AUGUSTINO exposuisset, tale accepit responsum: *Mos eorum nibi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est.* Quapropter si consilio meo acquiescis: Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo, vel disceptatione sectare, Ep. XXXVI. Cap. XIV. T. II. Op. f. 62. Hæc ipsa Episcoporum veterum independentia in Ecclesiis in primis Africanis ætate CYPRIANI sese exseruit, qui liberrimæ hujus potestatis, quæ ad diversa, nec levia, disciplinæ Ecclesiastice momenta sese extendebat, aliquoties meminit. Sic in epistola ad JUBA JANUM LXXIII. f. 210. declarat, se Episcopis relinquere arbitrium, ut suo quisque judicio agat, facti sui rationem soli Deo redditurus: *Hec tibi rescrispimus, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum, quod futat, faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem.* Eandem sententiam in Concilio Carthaginensi de rebaptizandis hereticis, A. CCLV celebrato, palam prodidit his verbis: *Superef, ut de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis altius.*

quem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum Episcorum se constituit, aut tyrranico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; (quod utrumque quidam antistites Romani, VICTORIS exemplum secuti, tentare non erubuerant,) quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis sua, arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest judicare. Sed expectemus universi judicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesie sua gubernatione, & de actu nostro judicandi, T. I. Concil. HARDUINI f. 159. Alibi de admittendis ad Ecclesie communionem adulteris dislerens Epist. LV. f. 110. ait: *A&tum suum disponit & dirigit unusquisque Episcopus, rationem propositi sui Domino redditurus.* Idem sentiebat antistes ille Carthaginensis circa baptismum clinicorum, quos perfectos & legitimos Christianos esse affirmabat. Nolebat tamen ea in re cuiquam præjudicare, quo minus unusquisque, quod putat, sentiat, & quod senserit faciat, Epistola LXIX ad Magnum, f. 185. Et f. 188 ait, *senemini præscribere, quo minus statuat, quod putat unusquisque Præpositus, actus sui rationem Domino redditurus.* Ad quæ verba JO. FELLUS, Præful quondam Oxoniensis, denuo notavit: *Hoc Episcorum jus, & par consortium honoris & potestatis, perpetuo, ingerit CYPRIANUS.* Dominationis, aut regii alicuius imperii in ceteros Episcopos vestigium, aut exemplum, nec in hujus, nec sequentis xvi monumentis, usquam occurrit.

## §. IV.

Fuerunt igitur a rei Christianæ exordio omnes Episcopi ~~autontici~~, ac pari potestate instructi, ita ut in diecesi sua facere possent, quod placebat. Habemus consentientem JOSEPH. MOTTAM, qui sponte fatetur, *Episcopos per duo secula, & ultra, suarum paraciarum fuisse supremos moderatores*, in Diff. de Jure Metropolit. §. CXLI. p. 186. Eam ob causam dicebantur APOSTOLICI. Qui titulus non Romano solum Præfuli, sed & inferioribus Episcopis tributus, ubique passim occurrit, teste JO. GARNERIO, in *Notis ad Librum Diurnum*, Cap. III. p. 54. Vocabantur etiam MONARCHÆ, quia singuli cum suo clero Ecclesiæ, quibus præerant, in solidum curabant, neque ullum aliud supra se in terris caput agnoscebant. Haec est IS. CASAUBONI observatio, tum in vita UDALRICI, tum alibi, ac in Exercit. XV. ad *Annales BARONII*, Num. XI. p. 259 prodita, ita ut Monarchiam legas pro Episcopatu positam. Rei fidem facit HILARIUS, Papa Romanus, LEONTIO Episcopo scribens: *Miramur frater.*

fraternitatem tuam ita legis Catholice immemorem esse, ut quæque iniqua, & contra Patrum nostrorum statuta, in provincia, quæ ad Monarchiam tuam pertinet, si ipse aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere, apud BARONIUM, T.VI. Annalium ad A. Chr. CCCCLXII. f. 263.


## §. V.

Facile etiam intelligitur, antistites Romanos tribus post Christum natum seculis, & ultra, non fuisse orbis Christiani monarchas. Nam cuncti episcopi eo tempore inter se erant pares, & nemo eorum in alium habebat imperium aut dominatum. PAPÆ nomen omnibus erat commune. Nam vox *Patris* est, blandiori dumtaxat sono elata. Hoc docet HESYCHIUS voce παπάς. ΠΑΠΑ, inquit, τὸ πατέρος ὑποκέριμα. Πεποίηται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶν πατέρων, ἀλλαγὴ τοῦ πατέρας παπά, i. e. Papa est blanda patris compellatio. Ortum vero dicit hæc vox ab infantibus, qui Patres compellant Papa. Consentit DOXOPATRIUS de quinque Patriarchalibus sedibus apud du FRENE in Glossario ad Scriptores mediae & infimæ Græcitatæ, voce παπᾶς, f. 106. ubi breviter & rotunde exponit patrem, his verbis: Πάπας ἐγνωμένεται ὁ πατής. Hoc nomen olim viris in auctoritate constitutis, ac honoratoribus, potissimum clericis, sive ob virtutem, sive ob canitatem, honoris ergo, tribuebatur. Hoc notavit WALAFRIDUS STRABO, libro de Rebus Ecclesiæ Cap. VII. Papa, inquiens, cuiusdam paternitatis nomen est, & clericorum congruit dignitati. Hinc Abbates & Sacerdotes frequenter leguntur dicti πάπαι. Et Archi-Presbyter non modo πάπας, sed & πατέρπαπᾶς, primus Papa, cognominabatur. Postea Episcopis ceperit esse ita peculiare, ut ii soli dicerentur Papæ, qui Episcopi. Hujus rei locupletes & idoneos habemus auctores, CYPRIANUM, HIERONYMUM, AUGUSTINUM, AVITUM VIENNENSEM, SIDONIUM, aliasque. Hoc sensu JO. CASSIANUS in Præfatione ad Collationes Patrum, CASTOREM, Aptenium pontificem, beatissimum Papam appellat, ad quem locum legi merentur ALARDI GAZÆI notæ. In Concilio Aurelianensi primo anno Chr. XI celebrato CLODOVÆUS, Francorum Rex, in literis ad Patres Synodi, T.II. Concil. Hard. f. 1008 ait: *Orate pro me, Domini sancti, & Apostolica sede dignissimi Papa.* Ubi observes, non tantum Gallicarum Episcopos vocari Papas, sed & Gallicanam Ecclesiam dici sedem Apostolicam. Ita apud GREGORIUM TURONENSEM Histor. L. IV. Cap. XXVI. EUFRONIUS, antistes Turonensis, salutatur

tatur *Urbis Turonicæ Papa*. Fatetur EUSEB. RENAUDOTIUS, hoc nomen olim commune fuisse omnibus Episcopis, præsertim in Occidente, in *Historia Patriarch. Alexandr. Jacobit.* p. 28. Usus tamen obtinuit, ut seculo IX exeunte, aut ineunte X, Papæ nomen nec Episcopis, nec Patriarchis, sed uni Romano præfuli vulgo tribueretur. Cumque multi Episcopi sibi ac collegis titulum istum more antiquo tribuere pergerent, ac vindicarent, tandem A. Ch. MLXXIV in Synodo Romæ habita a GREGORIO VII sanctum est, ne quis aut sibi ipsi, aut alteri, Papæ nomen adscriberet, sed unius esset in orbe universo Summi Pontificis. Ab eo tempore gnathones mirum in modum circa hoc nomen cœperunt nugari. Quemadmodum apud veteres paganos Imperatores, & Dictatores, *Patriæ Patres* dicti sunt, sic eundem titulum Romano Pontifici, quia Ecclesia imperium teneat, contigisse, plurimi volunt. Romanos enim, *Patrem Patriæ* significatores, duas dumtaxat primas syllabas scribere consueverunt. Alii delirarunt, *Papam* dictum esse, quasi admirabilem, ab admirantis interpellatione *pape*. Multa hanc in rem congesit ABRAHAMUS ECHELLEN-SIS, Maronita, in prolixa Dis. de origine nominis *Pape*, Romæ 1660 emissa. Adhuc plura compilavit BONANNIUS Tom. I. Numism. Pontif. Rom. in Julio II. At vitiligant omnes illi, inaniaque summo cum labore confarcinant, judice JAC. BASNAGIO in Pref. ad Thesaurum Canisanum abs se editum, Cap. IV. §. 4. f. 37.

## §. VI.

Nobis sufficit, demonstrasse, *Pape* vel *Parris* nomen, ab initio omnibus Episcopis commune fuisse. Pleraque epistolæ ad CYPRIANUM data, hanc habent inscriptionem: *Cypriano Pape*. Quin & idem Carthaginensis antistes a Clero Romano Beatissimus ac Gloriosissimus Papa salutatur, Epist. XXX. Sic DIONYSIUS, presbyter Ecclesiæ Alexandrinæ, HERACLAM antistitem suum τὸν υεὐόλειον πάπαν, Beatissimum Papam appellat, apud EUSEB. H.E. L.VII. Cap. VII. Sic HIERONYMUS vocavit EPIPHANIUM, ATHANASIUM, PAULLINUM atque AUGUSTINUM. Videantur HIERONYMI epistolæ, quæ inter Augustinianas edit. Benedict, existant, N. XXXIX. LXVIII. LXXII. LXXV. LXXXI, & hanc habent inscriptionem: *Domino vere sancto, & Beatissimo PAPÆ Augustino*. SIDONIUS APOLLINARIS quemlibet fere Galliæ Episcopum Dominum Papam appellat. Postremus plura testimonia ex CONSTANTINI M. epistolis, ex EPIPHANIO, CODICE THEODOSIANO, aliquis antiquitatis Ecclesiastice monumentis, subjugere, nisi res jam manifesta esset.



Aug VI 57 (1)




f

TA-70  
nur 4. Stk verknüpft

Revo



B.I.G.



Q. D. B. V.

18a

# NOVITATEM REGIMINIS MO- NARCHICI IN ECCLESIAM UNIVERSAM

PRÆSIDE

SALOMONE DEYLINGIO,  
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJUSDEMQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, CAPITULI CI-  
ZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE,  
NATIONIS MISNICÆ SENIORE, ECCLESIÆ HUJUS LOCI  
AD D. NICOLAI PASTORE, ET DIOCESEOS  
LIPSIENSIS SUPERINTENDENTE,

IN ACADEMIA, QUÆ LIPSIÆ FLORET,

PERSPICUE EXPONET

JO. CHRISTIANUS BROESTEDT,  
VRATISLAVIENSIS.

DISSERT. I.

D. XXIX. Decembr. A. O. R. dñ 19 cccxxix.

LIPSIÆ, LITTERIS SCHEDIANIS.